
IHS


6
26 N
25

Genealogia SERENISSIMOR. BOIARIÆ DVCVM. et QVORVNDAM GENVINÆ EFFIGIES.

à Wolffg. Kiliano Aug. æri incisæ.

Anno M. DCXX.

BELLO

PACI.

Coll. Rom. Soc. Jesu
Catal. Inscrip.
B. S.



Erenissimorum Boiariæ Ducum genealogiam, vnà cum Iconibus, antè annos quindecim Potentissimo Principi, Domino Maximiliano Comiti Palatino ad Rhenum, Vtriusq; Boiariæ Monarchæ,&c. per Dominicum Custodem submissè dicatam, per Serenitatis suę Consiliarium, Nobilem & Clarissimum Iureconsultum, Dominū Christophorum Gevvoldum, &c. conscriptam, ab eodem verò non ità pridem diligentia summa reuisam, ad auctam, & viuorum Principum Iconibus ad pręsentia tempora accommodatis, Ottonisque IV. nouiter adiecto exornatam, in honorem Domus Serenissimę (cui sese suaque humilimè deuouet) recudendam suscèpit, ac denuò proponit.



VVolffgangus Kilianus,
Ciuis & Chalcographus
Augustæ Vindelicorum.

AD LECTOREM.

Reprehendar forte à plurimis, cur ἐκ λεωφόρου βαδίζων, nouam & pene nemini frequentatam hactenus viam ingrediar? ſino, reprehendar. Meum propoſitum eſt, non Crambentoties coctam recoquere: ſed veritatem repræſentare. cui ſecus feciſſe videor, is mei facti rationem requirat: qui ſua meliora arbitratur, mecum conferat: neutrum feciſſe pœnitebit.



CHRISTOPH. GEVVOLDVS V.I.D. Sereniſſ. Boiar. Duc. à Conſilijs & Secretis.

IVDICIVM MARQ. FREHERI DE GENEALOGIA BOIARIÆ Ducum, ad Ill^rem^. Virum, Marc. Velſerum, Duûmvirum Auguſtan. Sacr. M^tis^. Conſiliarium perſcriptum.

GENEALOGIAM domus Baioaricæ breuem ſed accuratam à docto neſcio quo viro ſcriptam, à Carolo M. vſque ad hodiernos Principes deductam, cum Principe meo communicauit Sereniſſimus Dux Bauariæ. Quam iuſſus ſum à Rudolpho Palatino fratre Ludouici Imp. (qua parte autor ille ſoli Bauaricæ lineæ inſiſtit, Palatinis dimiſſis) ad noſtros vſq; continuare. Idipſum opus Genealogiæ Bauaro-Palatinæ communi ipſorum vtriusque domus Principum conſilio conſcribendæ omni opere vrget Dux Iohannes Bipontinus. De quo ad reditum (ξὺν θεῷ) meum videbimus.





IN GENEALOGIAM SERENISSIMORVM BOIARIÆ PRINCIPVM

A.

C. V.

CHRISTOPHORO GEVVOLDO. I. V. D. & magno Boiorum Duci ab consilijs concinnatum.



Elsam Boiugenum stirpem per stemmata Regum
Ad nostros ducis docte GEVVOLDE *Duces,*
Et caput à Magno declinas Cæsare Gentis,
Qui rapuit Graijs nomina Cæsaribus.
Hac series Boijs octo per sæcula creuit
Et lauros populis sceptraq; sæpe dedit.
Tam fecunda viret semper cum vite propago,
Deq; nouo semper palmite gemma tumet.
Iam poteras alios regredi prope mille per annos,
Atq; aliud capitis quærere in orbe caput.
O cælum serua saluo cum Principe Gentem,
Vt generosa Duces tot ferat atq; tulit.
Certus Maiorum numerus fuit: Astra Nepotes
Dent, quos præ numero nec numerare queas.


Matthæus Raderus, è Societ. IESV.

CAROLI

CAROLVS MAGNVS ROMANORVM IMPERATOR.



Induperatores inter. tu CAROLE. magnos
Das magno Boijs stemmate. MAGNE. Duces.
Portio Celtarum Boij: mutare priores,
Nobilius Dominos scilicet haud poterant.



B CAROLI


AROLI M. Imperatoris, pietate in Deum, ergà ſedem apoſtolicam obſeruantiâ; rerumque tam belli quàm pacis temporibus geſtarum magnitudine, optimo maximo iure MAXIMI nomine indigetandi progenitores, PIPINVM Francorum Regem, CAROLVM Martellum, PIPINVM groſſum, ANGISVM: S. ARNVLPHVM, ac deinceps, nemo opinor eſt, qui ignoret: & ſi quis reperiatur qui de hoc vel dubitet, vel uberiorem cognitionem requirat; huic plurimi grauiſſimi prabatique auctores, & Documenta publica abunde ſatisfacient. Mihi quidem Genealogiam Sereniſſimorum Baioariæ Ducum texenti, ſatis eſt, primum eius auctorem & conditorem conſtituere hunc ipſum CAROLVM M. non quidem ſecundum communem plurimorum errorem, vel ad Imp. Ludouicum Pium, & deinceps ad Arnulphum, quem patrem fingunt Comitis Arnulphi, patris Leopoldi Ducis; vel ad Carolum Pipini Aquitaniæ regis filium; aut denique ad Hugonem quendam deſcendendo, cuius fuerit filius Leopoldus ille Dux, quem Rex Ludouicus, Arnulphi Imp. filius, illuſtrem Comitem ac propinquum dilectum in diuerſis publicis literis appellauit (quod non ſolum veritati hiſtoriarum, ſed etiam chronologiæ manifeſtè aduerſatur) ſed eâ generationum ſerie, quemadmodum infrà ſuis locis patebit.

CAROLVS igitur merito ſuo, ob magnitudinem rerum laudabiliter geſtarum MAGNVS cognominatus, naſcitur An C. 742. cum patre Pipino, Bertrada matre, & fratre Carolomano Rex Franciæ perungitur, v. Id. Aug. A. C. 754. ab Hadriano PP. contrà Deſiderium Longobardorum regem in auxilium vocatus, eo deuicto, ſolemni ritu adhibito, Italiæ Rex, & Patricius Romanus, communi Pontificis, & ſacrorum Italiæ procerum decreto efficitur A. C. 774. Baioariam coniecto Taſſilone Duce, vnà cum Theodone filio exigentibus eorum meritis in monaſterium, adquirit A. C. 788. à Leone Pont. Max. chlamide Auguſtali indutus, & impoſita aurea coronâ pretioſiſſima Imp. Rom. Auguſt. conſecratur; nec non à Clero P. Q. R. ſalutatur VIII. Cal. Ian. A. C. 801. Ludouicum fil. Imperij conſortem adſciſcit, & Bernhardum ex Pipino fil. nepotem Italiæ Regem declarat x. Cal. Dec. A. C. 813. Tandem poſt debellatos Longobardos, Saxones, Hungaros, Saracenos, Hiſpanos, & hoſtes alios; Sedis Apoſtolicæ adſertor, & Italiæ reſtaurator præclariſſimus, ſubitâ febri, & ſæuo laterum
Eginhard dolore correptus moritur v. Cal. Feb. A. C. 814. annos natus LXXII. ſepultus eâdem qua defunctus die Aquis in Baſilicâ D. Dei genitricis, quam ipſe conſtruxerat: arcusque ſuper tumulum deauratus cum imagine erectus, titulusque hoc modo deſcriptus:

SVB HOC CONDITORIO SITVM EST CORPVS KAROLI MAGNI ATQVE ORTHODOXI IMPERATORIS, QVI REGNVM FRANCORVM NOBILITER AMPLIAVIT, ET PER ANNOS XLVII. FELICITER TENVIT. DECESSIT SEPTVAGENARIVS. ANNO DOMINI. Dccc. XIV. INDICTIONE VII. V. CALEND. FEBRVARII.

Procreauit Ex HILDEGARDE coniuge, Hildebrandi Ducis Alemannorum ſeu Sueuorum filiâ A. C. 783. defunctâ, tres filios:

CAROLVM. PIPINVM. LVDOVICVM.

Plura, eaque ſelectiora de Carolo M. in compendium redacta reperiet lector apud R. P. Raderum Volum. I. de S S. Bauar.

GENE-

GENERATIO PRIMA.

PIPINVS CAROLI M. FIL. AN. C. 781. Italiæ inunctus; & An. 806. à patre in testamento BAIOARIAE scriptus Rex: Exercitum in Beneuentanum Ducatum duxit A. C. 800. coronationi patris Caroli Augusti A. C 801. Romæ interfuit. Paschate inde peracto, ad Beneuentanos reuersus Teate oppidum cum præfecto eius Rodelino cœpit, ac subito igne statim incendit: quo terrore multa eius castella in deditionem se contulerunt. Bello quoque ad singula oppida circumlato ORTONAM & LVCERIAM diuturna oppugnatione fatigatas adduxit in potestatem, A C. 802. & cum in Italiâ neque magistratus iuri dicundo, neque populi dicto audiendo leges seruarent suas; PIPINVS à patre admonitus huic rei operam dedit, A. C. 806. Classem in Corsicam Insulam, quam Saraceni ex Hispaniâ inuaserant, misit, eosque aduentu suo nec opinato perculsos inde se proripere compulit. Sequenti anno 807. cum aduersus Nicetam Patricium Constantinopolitanum Venetijs agentem ducere, ac socios Venetos in fide retinere, pro regiâ dignitate instituisset, pactis tamen vsque ad mensem Augustum inducijs quieuit. ita Nicetas Constantinopolim abijt. Postero (808.) cum iam tempus induciarum exisset, contrà PAVLVM præfectũ NICETÆ loco à Nicephoro datum ad Comaclum Insulam Venetorum finibus obiectam summo prælio decertauit; Venetis scriptoribus victoriæ decus ad Paulum, Francis verò ad PIPINVM trahentibus. Anno deniquè 810. PIPINVS perfidiâ Venetorum Ducum impulsus, terrâ marique Venetiam inuasit, eamque cum Ducibus bello subegit. Metamaucum, quæ cùm Ducum regia erat excîdit. PIPINVS autem Rex, Rauennâ Mediolanum profectus VIII. Idus Iulias est mortuus: vir, si diutius vita suppeditasset, virtutis magnitudine patriam auitamq ue gloriam facile adæquaturus. Cadauer eius Veronam delatum sepultum est in monasterio S. Zenonis, quod rex ipse construxerat, atque optimis possessionibus exornârat. Eius sepulchrum altè terrâ obrutum Veronenses in cœmiterio monasterij hodie ostendunt: ex Adelheide coniuge vnicum filium BERNHARDVM; filias quinque, Adelheidam, Atalam, Gundradam, Bertraidem, ac Theodoradam, superstites reliquit.

Paul. VVarnefrid: in supplem. Annal Francor. Testam. Caroli M. Carol. Sigon. IV. de regn. Ital.

Annal. Francor. Annal. Fuld Sigon.

Eginard. in vit Caroli M

M Henning.

GENERATIO SECVNDA.

BERNHARDVS Pipini Italiæ Regis Fil. egregiæ virtutis adolescens A. C. 812. ab auo Carolo M. contrà Saracenos ex Africâ & Hispaniâ sociatis quasi armis ad littora Italiæ depopulanda concurrentes, cum exercitu in Italiam mittitur. Saraceni autem tanto accepto apparatu deterriti, Italiam omiserunt, atque alij se in Corsicam, alij in Sardiniam intulerunt. ex quibus qui adtigére Italiam, propè omnes occisione occisi sunt. A. C. 813. in Conuentu Aquis per Carolum habito, absens Italiæ præficitur; eiusdemque iussu ab Archiepiscopo Mediolanensi Modoëtiæ coronatus, regnum administrare patris exemplo instituit. Euocatus post aui mortem à patruo Imp. Ludouico Pio ex Italiâ, & maximis muneribus donatus, exhortatusque, vt Italiâ virtute ac fide administranda laudem patris assequeretur, postremo anno (815.) in Italiam redire iubetur, ad comperiendum & significandum LVDOVICO ea, quæ inter LEONEM Pont. & Romanos acciderant. Bernardus igitur Romam profectus, quamquam graui morbo implicitus, cuncta ingenti solertiâ inquisiuit, quæque comperit, per

Annal. Francor. Sigon. Adelm.

Annal. Fuld Adelm.

Velser. Boicar VI. sub an. 811.

GEROLDVM Comitem ad LVDOVICVM omnia detulit. Romanos etiam, qui percepto Leonis graui morbo firmâ satellitum manu contractâ omnes villas nuper ab eo singularum ciuitatum in agris constructas inuaserant, ac direptas incendio concremârant, indeque Romam ire pergebant, vt quæ sibi per vim erepta querebantur reciperent, ab eiusmodi conatu auertit, atque de omnibus rebus, vt gestæ erant, patruum edocuit. Anno 817. nuncio in Italiam de diuisione regnorum à Ludouico factâ perlato, à Proceribus Francis inductus Bernardus rex, regni Franciæ Ludouico Pij filio eripiendi consilium iniit: contrà quem cum patruus euolato è Franciâ atque Germaniâ magno exercitu contendere properaret; BERNARDVS metu perterritus arma posuit, atque vltrò patruo Imperatori ad Cabillonem sedenti se tradidit. Subsequenti anno (818.) paucis post Pascha diebus, LVDOVICVS iudicium de coniuratis exercuit, & Bernardum quem iudices rei capitalis damnârant, luminib. orbasse satis habuit: Propter quam tamen sæuitiam Ludouicum in odium Imperij procerum venisse; & pœnituisse, auctores quidam tradunt. Decessit igitur BERNARDVS tertio die post amissionem luminum ex dolore & mœrore (non enim illis fidem habeo, qui scribunt capite fuisse plexum) hoc est, xv. Kal. Maij, sepultus Mediolani in æde S. Ambrosij, in quâ nunc etiam cippus inuisitur cum hoc elogio.

Adelmus. *Annal. Francor. Auctor Vitæ Ludouic. Pij coæquæuus. Adelm. an. 822. Nithard. lib. 1. f. 431. Sigon.*

BERNARDVS CIVILITATE MIRABILIS, CÆTERISQVE PIIS VIRTVTIBVS INCLYTVS REX HIC REQVIESCIT, REGNAVIT ANNOS IV. MENSES V. OBIIT XV. KAL. MAII, INDICTIONE XI. FILIVS PIÆ MEMORIÆ PIPINI

BERNARDI huius filius fuit Pipinus iunior.

GENERATIO TERTIA.

PIPINVS Bernardi exauctoritati Fil.

Historici quidam ex Gallicis scriptoribus probare nituntur, neque Pipinum, neque filios eos aliò fuisse abductos, sed in Gallijs mansisse; & diuersa obtinuisse loca, siue prouincias. Ac Heribertum quidem Veromanduorum; Pipinum alterius loci; Bernardum Syluanectensem Comites factos. Nithardus etiam de bello inter Lotharium Imp. Ludouicum Germaniæ, & Carolum Galliæ Reges, A. C. 841. & sequenti gesto tractans, Pipinum filium Bernardi regis Longobardorum commemorat; eique citra Carlonarias sedem attribuit.

Nithard. lib. 2. de dissensionib. filiorum Ludou. Pij p. 449. inter. edit. Pythœi

E contrà domestici scriptores, & nonnulli alij, Pipinum, de quo heic agimus, ditionibus paternis exutum, & à Lothario Pij fil. vnà cum filijs, Bernardo, Pipino, & Heriberto, ad Nariscos; siue in pagum Nordtgöuue, Baioariæ cis-Danubianæ, vel Franconiæ Orientalis regionem abductum; hosque omnes in Comitum ordinem redactos, Comitatum Lengfeld multis annis possedisse, atque Comites in Lengefeld nuncupatos fuisse, constanter affirmant, quorum sententiam tamquam probabiliorem ego quoque sequor. Galli scriptores Bernardos, Pipinos, Heribertos commemorant, à nostris omninò diuersos. Nithardus, quamuis coæquæuus auctor, singularis tamen est, quem in Pipino æquè errasse, quidam in Bernardo errauit, quem capite plexum fuisse ait, planum est dicere. Vnici quoque testis, & singularis prolatum

Aventin. Kölner Marc. Wagner. M Henninges. Nicol. Cisnerus. Dn. Ioan Iacob Fuggerus Baro in Kirchberg & Weissenhorn. &c

In seinem Oesterreichischen Ehrenwerck.

testimo-

teftimonium, domefticorum aliorumque fcriptorum affertionem non refellit; neque etiam antiquiffimam traditionem euertit. Conceffo etiam Pipinum Bernardi filium, eo ipfo tempore, quo Imperator & Reges fratres, bellum inter fe gefferunt, in Gallijs apud Regem Carolum fuiffe: non tamen inde conficitur, filios illius Bernardum, quidem ad Narifcos, Pipinum & Heribertum aliorum fuiffe ablegatos: quin potius confilio inter fe videntur diffociati, & diuerfis locis conftituti: ne iuncti nouam confpirationem cogitarent, & denuò defectionem molirentur. Verum de his plura videre licet in noftris Aduerfarijs hiftor. Baioaricæ, fuo tempore edendis.

GENERATIO QVARTA.

BERNARDVS Com. in Lengenfeld, Pipini iun. Fil. filium habuit Arnulphum Comitem. *Domeftici fcriptores, & alij, qui fupra.*

GENERATIO QVINTA.

ARNVLPHVS, Comes in Lengenfeld, feu, vt hodie vocari folet, Burglengenfeld / in pago Nodgeuu, Bernardi Fil. à domefticis fcriptoribus, & alijs laudatur. Hunc plerique hiftoricorum, & in heis Onuphrius Panuinius Arnulphi Cæfaris filium fpurium fuiffe, contrà omnem chronologiæ veritatem fabulantur. Sed quàm falsò ifta protrudantur, ex aduerfarijs noftris Boiaricæ hiftoriæ, fatis fuperque liquet. Præ cæteris ineptus eft Chronici Spirenfis auctor, qui Arnulphum Ducem Baioariæ, Luitpaldi fil. & VVernherum Comit. Schiren. dicti Arnolphi Ducis ex Arnolpho fil. nepotem; nec non CONRADVM Franconiæ, Haffiæ, & VVetterauiæ Comitem Arnulfo Cæfari filios adfcribit. *lib. 2. cap. 8 f. 60.*

ARNVLPHVS igitur, de quo nobis fermo eft, quemque Fulden. Annales inter Boiariorum Principes æftimant; contrà Nortmannos Dux ab Arnulpho Cæf. factus A. C. 891. in bello fortiffimè pugnans occubuit. Nordgoiam autem, fiue Nordgeuu, Narifcorum portionem, in quâ Lengefeldenfis Comitatus fitus eft, ad Baioariam eo æuo pertinuiffe, vel ex vno Caroli M. teftamento fatis conftat: & ex literis Ludouici III. alibi prolatis certo certius patet. *An. 885. & 891.* *In Metrop. Salisburgen.*

GENERATIO SEXTA.

LVITBALDVS, qui etiam LVITPOLDVS, LEVPOLDVS, LVPOLDVS, LVDEBALDVS, & LEOPOLDVS (diuerfimodè enim in vetuftis diplomatis & libris, nec non apud recentiores hiftoriographos vnum idemque hoc nomen fcriptum reperitur) Arnulphi Comit. fil. pro præmio virtutis paternæ contrà Nortmannos exhibitæ, ab Arnulpho Cæf. limitis orientalis Marchio & Boiariæ dux defignatus; à Ludouico III. Arnulphi Cæf. filio illuftr. Comes, & dilectus propinquus appellatus: multa contrà Hunnos & præclara bella geffit: tandem verò contrà eofdem fortiter prælians occubuit III. Id. Sextil. A. C. 907. *D. Ioan. Piftor. Nidanum de quo authores nō dubitant; quid contra adferat Auentinus. Annal. Francor.*

 Sufcepit

Regino Otho Frisingen. Nicol. Cisner I. C in orat. de Friderico II. Imp. Monachus Hirsaugien. anonymus. Regino Fabric Orig Saxon. l. II. Dn Hund. in metrop.

Suscepit ex Adelheide coniuge, Othonis Saxoniæ siue Ducis seu Comitis filia, Henrici Regis, vulgò aucupis dicti sorore binam sobolem masculam.

ARNVLPHVM.

BERCHTOLDVM, qui post fratris obitum ab Othone I. Imp. Boiariæ Ducatu donatus; vxorem habuit VVILTRVDEM, Giselberti Lotharingiæ Ducis, & Gerbyrgis, Othonis I. sororis filiam. Obijt sine prole IX. Cal. Decembr. A. C. 948. sepultus in cœnobio Altaich. infer.

Plura de Luitbaldo Duce, reperiet lector in aduersar. histor. Boicæ.

GENERATIO SEPTIMA.

Hepidannus

ARNVLPHVS, qui & ARNOLDVS, Leopoldi ducis fil. regis iuxtà titulum Boiariæ Dux, à vulgo historicorum Mali cognomen retulit: & vt fidem commentum inueniret, multa fabulosa rebus ab eo gestis adspersa fuerunt; sicut alio docebitur loco. Hepidannus auctor peruetustus & grauis in suis Annalibus ad A. C. 913. de hoc ipso Arnulpho ita scribit: Agareni (al. Vngari) Alamanniam intrauerunt. Erchanger & Pertholt frater eius, & Vodalrichus Comes, auxiliante illis nepote eorum Arnolfo optimo Duce Baioariorum, totum exercitum eorum iuxtà INE fluuium penitus occiderunt, nisi XXX. viros. Tam procul autem à vero abest, Ducem hunc Arnulphum, Counrado Cæsari rebellem ad Vngaros aufugisse, eosque in Boioariam adduxisse, vt planè de contrario ex probatis auctoribus constet. Pium quoque prudentem. & pacis publicæ amantem Principem fuisse, satis superque testantur gesta inter illum & Regem Henricum aucipem. Obijt A. C. 948.

Abb. Vrsperg.

Vxorem habuit Gerbyrgam, Rudolphi Comit. Altorfen. fratris S. Conradi Episcopi Constantien. filiam, ex quà ipsi liberi fuerunt:

EBRHARDVS. Hunc LEO Pont. Max. in suis ad Reges, Duces, Episcopos, Abbates per Galliam, Germaniam, &c. Bauariæ Ducem: qui vnà cum fratribus Baioariæ Ducatu, post obitum Berchtoldi patrui inconsulto Othone I. Imp. usurpato priuatus legitur.

ARNOLDVS.

HERMANNVS. hic in prælio captus & abductus fuit, An. C. 952.

IVDITA, vxor Henrici Ducis, Othonis I. Imp. fratris, fœmina à Dithmaro Episcopo Merseburgen. eius æui scriptore, alijsque probatis authoribus collaudata: fundatrix monasterij Nidermünster Ratisponæ.

GENERATIO OCTAVA.

Eckhardus iunior Monach. S. Galli. Regino. an. 953. Fabric orig Sax. lib. II.

ARNOLPHVS seu ARNOLDVS, Arnolphi Ducis Noricorum filius: Comes Schiren. & Palatinus Baioariæ (quæ dignitas tùm post Ducalem proxima fuit) rebellante contra patrem Luitolpho Ottonis I. filio, eidem spe recuperandi Ducatus paterni se adiunxit cum fratre Hermanno: sed ab Imp. obsessus Ratisponæ, in prælio ante portas ciuitatis occubuit, A. C. 954. Vxorem habuit Richsam Ottonis I. sororem, ex qua illi filius

BERCHTOLDVS.

GENE-

GENERATIO NONA.

BERCHTOLDVS Com. Schiren. & Palatinus Boiariæ, Arnolphi fil. Ottonis M. Imp. ex sorore nepos: ob fidem & integritatem in Ottonem II. Imp. à Dithmaro Merseburgen. Episcopo laudatus; quidquid secus de illo commemoret Auentinus. Nec verò sibi ipsi satis constat Auent. qui in commemoratione cladis Ottonianæ à Saracenis acceptæ, Bertholdum hunc optimum rei militaris Ducem vocat. Arnolfus Com. Camben. & Vchburgen. videtur eum nominare Berchtolfum MarchiComitem, & disertè scribit illum Othoni II. bellum tunc contra patruelem Henricum Ducem Boiar. gerenti, & ciuitatem Ratisponam obsidenti auxilium tulisse. Profectus tandem cum Ottone II. in Calabriam contrà Saracenos, ibidem occubuit A. C. 982. relictis filijs;

Annal. Boior V. p. 503. & p. 505.

lib. 2. de S. Emmeramo.

VVERNHERO.

HENRICO, siue Hezil, cuius faciunt mentionem Adelboldus, & Georg. Fabricius.

Adelbold. de reb gest S. Henrici.
Fabric Orig Sax. lib. II.

GENERATIO DECIMA.

VVERNHERVS, Berchtoldi Fil. Com. Schiren. ex coniuge Beatrice, filia Sophiæ, sororis Colomannni Regis Vngarorum duos suscepit filios.

OTTONEM I.

BABONEM I. qui ob. A. C. 995. sepultus Ratisponæ in Monasterio inferiori. Huius filius BABO II. reperitur testis in fundatione Monasterij Geisenueld. A. C. 1030. & post mortem sepultus fuit Frisingæ.

D. Hund. libr 1. Stemmat. B. Vid. Metropol. Rubr. Geisenfeld.

GENERATIO VNDECIMA.

OTTO I. VVernheri fil. Schiren. Princeps, Palatinus Boiariæ, ob. A. C. 1040. sepultus Frisingæ.

In libr. Tradit. monast. VVèihenstephan SKTRAN.

Vxorem habuit TVTAM, Comitis Nassauien. filiam, quæ fecit illum patrem

OTTNOIS II.

ARNOLPHI conditoris Comitum in DACHAVV.

CONRADI, à quo Comites de Phalaij.

GENERATIO DVODECIMA.

OTTO II. Ottonis I. Fil. Comes in Scheyrn, & Palatinus Boiariæ, Aduocatus Ecclesiæ Frisingen. Sub Eleandro Episcopo. Hic est Comes ille Otto, cuius meminit Cæsar Heinricus III. in literis donationis monasterio VVeltenburg factæ, quod Lector repetiet in Metropol. Salisburg. Sub dicto Monasterio. Obijt. A. C. 1079. Coniugem habuit Hazigam, Filiam Regis Aragoniæ, viduam Hermanni Comit. in Castel. & Sulzpach, quæ obijt A. C. 1103. fundatrix monasterij S. Petri, in Prouincia Norica (verba sunt Henrici V. Imp. in Diplomate A. 1107. dato) in Episcopatu Frisingen. in pago Vsegôuue, iuxta

 fluuium

fluuium qui dicitur Glana, in Comitatu Vsen, quod Vsenhouen antiquitus, modo autem mons S. Petri nuncupatur.

Eysenhouen.

Translatum fuit postea hoc monasterium, commodioris habitationis causa, de Eisenhouen in Vischpachavv

Horum coniugum filij fuerunt:

OTTO III.

BERNHARDVS, qui decessit absque liberis.

BERCHTOLDVS, cuius & cæterorum fratrum fit mentio in literis Henrici Imp. V. & in libro Tradit. Monasterij VVeihenstephan.

EKKHARDVS dictus mit dem Pundtschuech: hic interfuit expeditioni à Godofredo Bulionæo in Palæstinam susceptæ: ex qua rediens in insula Cypro obijt, Superstites habuit ex coniuge Petrissa filios:

ECKHARDVM monachum Schirensem.

OTTONEM, &

BERNHARDVM Comites de VVolfartshausen.

GENERATIO DECIMATERTIA.

Kalixt. II. P P. in dipl. An. C. 1123. Henr. V. Imp. A. C. 1124.


OTTO III. Ottonis II. Fil. Comes de VVittelspach (quam arcem mutato castro Schirensi, consentientib. Comit. Petrissa Eckhardi viduâ, & alijs quinque Comitibus in Monasterium, ac Monachis ex Vischpachavv eò translatis ipse condidit, suisque posteris nomen inde imposuit) & Palatinus Baioariæ; testib. Paschale PP. & Henrico V. Imp. egregiæ strenuitatis, & magni nominis Comes.

Coniunx AGNES Lotharingiæ, ex quâ filios procreauit.

OTTONEM IV.

ECKHARDVM. alij alios commemorant.

GENERATIO DECIMAQVARTA.



OTTO

OTTO IV. OTTONIS III. FIL. COMES
IN VVITTELSPACH.



Magnanimus Princeps, OTTO, sapiensq; piusq;
Hoc titulo ornarunt Pontificesq; sacri.
Coenobium illustre et fundarit, sumtibus almis.
Vndensdorff, in quo molliter ossa cubant.
Huic generosa fuit proles, quæ fonte perenni
Permagnis Ducibus vitam animumq; dedit.

D OTTO

OTTO IV. Ottonis III. Fil. Comes in VVittelſpach, vel wittelineſpach, ſicut vetuſta diplomata habent, & Palatinus Baioariæ, ſapiens dictus: quemque Summi Pontifices Kalixtus II. & Innocentius II. Illuſtrem Comitem vocant in ſuis literis, & ob ſingularem pietatem laudant: Monaſterium Vndensdorf fundauit, ibidem ſepultus. Idem quoque cœnobium Ensdorf amplum apud Nariſcos, vnum infra Ambergam miliario ad flumen Vilſam ſitum, reſtaurauit. Ob. A. C. 1146. ſuſceptis ex coniuge Holiea, Comitiſſa de Lengefeld, ex Burggrauijs Ratiſponen. quinque prolibus:

FRIDERICO, cuius fit mentio in Diplomate Conradi II. Imp. monaſterio Ranshouen. A. C. 1142. conceſſo: nec non in literis ab Henrico Leone, Baioariæ & Saxoniæ Duce A. C. 1160. monaſterio Pollingen. datis, & alibi ſæpius.

OTTONE maiore.

Chron. Reicherſberg CONRADO, Archiepiſc. Moguntin. & Salisburgen. S. R. E. Cardinale Presbytero. S. Marcelli Sabinen Epiſc. Apoſtolicæ ſedis in Alemanniâ, ſeu Germaniâ legato: Saer. Rom. Imp. ſeptemuiro.


IVSTITIA. Coniug. Ottonis Comitis à VVolfratshauſen.

OTTONE iuniore, Landgrauio, ſeu Palatino Comite in VVittelſpach: cui vxor fuit Benedicta, filia Mangoldi Comit. de VVerd & Dillingâ. Horum coniugum filius fuit OTTO Com. Palat. de VVittelſpach, cæſor Philippi Rom. Reg. A. C 1208 qui iudicio Regis Ottonis & Principum, cum complicib. ſuis proſcriptus, A. C. 1209. in pago Oberdorf, iuxta Danubium, duobus circiter miliarib. ſupra Danubium latens, ab Henrico Marſcalco de Kalınthin, occiditur. Feuda verò, quæ hic Palatinus, nec non Marchio Hiſtriæ, Epiſcopi Babenbergen. frater, ab Imperio tenuerant, Otto IV. Rom. Rex Duci Baioariæ Ludouico conceſſit.

al. Calathin. Liter. Geſtit de An. 1208. in Archiuo Sereniſſ.

Tradunt quidam ex huius Ottonis progenie, propter paternum delictum Baioariâ pulsâ, prodiiſſe Comites Sylueſtres, die Wildgraven; quod ſuo relinquo.

GENERATIO DECIMAQVINTA.





OTTO

OTTO COM. VVITTELSPACEN.



Iura tuum Boios in pristina Stemma recepit:
Te duce, sic Magnus iure vocaris OTHO.
Instauratorem nempe est fas dicere MAgnum,
Huius ceu generis Magnus et auctor erat.

OTTO Com VVittelfpacen. à magnitudine animi, prudentiâ, infigni armorum peritiâ, & in gerendis rebus dexteritate Magnus dici promeritus: HENRICO Leone, Baioariæ & Saxoniæ Duce, in Comitijs Ratisbonæ procerum Imperij fuffragijs abdicato, & læfæ maieftatis condemnato, à Friderico I. Imp. Dux Baioariæ defignatur, A. C. 1180. & hoc modo, familia VVittelfpacen. & Schiren. Ducalem dignitatem ab annis penè ducentis & triginta duobus fibi præreptam, recuperauit. quam in hodiernum vfque diem Dei munere feliciter obtinet. Obijt Otto dux A. C. 1180. Liberos ex Agnete Comit. de VVaſſerburg coniuge fufcepit;

LVDOVICVM.

SOPHIAM, quam nonnulli nuptam ferunt Popponi Comiti Hennebergico. Verum R. Ad. & Clarif. Vir. Dn D. Ioan. Piftorins Nidanus, R. P. Raderus, &c. docent, nuptam fuiffe Hermanno, Ludouici IV. Thuringiæ & Haffiæ Landgrauio: ex quo coniugio prodijt Ludouicus VI. Landgrauius S. Elifabethæ maritus.

GENERATIO DECIMASEXTA.

LVDOVICVS, Ottonis M. Fil. Baioariæ Dux & Septemuir, à Friderico II. Imp. An. C. 1215. Com. Palat. Rheni conftituitur: & A. C. 1231. interficitur Kelheimij fecus Danubium: vbi loci Palatini Baioariæ VVittelfpacen. Comites, à longo tempore, etiam poft recuperatum Bauariæ Ducatum habitare folebant) cum toto Ducatus fui tempore laudabiliter rexiffet Baioariam; multasque res gefliffet. Occafionem tàm infandæ cædis nonnulli fcriptores notant; & Innocentius PP. IV. apertè indicat, in diplomate quodam, heis verbis: *Infidelium perniciofis & horrendis obfequijs contra fideles abutens* (Fridericus II.) *& illis qui damnabiliter vilipendentes & contemnentes apoftolicam fedem, ab vnitate Ecclefiæ difcefferunt, procurans affinitate & amicitiâ copulari, claræ memoriæ Ducem Bauariæ, fpecialem Ecclefiæ Romanæ & deuotum fecit, ficut pro certo afferitur, Chriftianâ religione defpectâ per Affaffianos occidi.*

Otto Frifing.

Matrimonio Ludouicus fibi iunxerat LVDOMIAM Bohæmam, Comit. Alberti à Pogen viduam: fundatricem monafterij Sældenthal (vulg. Seeligenthaal) propè Landishutam, quam ciuitatem & arcem adpofitam maritus conftruxit. ob. ipfa A. C. 1240. ibidem fepulta. Horum coniugum filius fuit OTTO.

Ludmillam.

GENERATIO DECIMASEPTIMA.

OTTO, Ludouici Fil. Baioariæ Dux, & Septemuir, Com Palat. Rheni, Princeps armis clarus. ob. A. C. 1253. de cuius morte fabulofa quædam fuerunt fparfa, alioque loco refutata. Vxor AGNES, Henrici Brunfuicen Ducis, Com. Palat. Rheni filia; quæ ob. A. C. 1262. horum liberi fuêre,

HENRI-

HENRICVS	SOPHIA	ELISABETHA Vxor I.	*LVDO-VICVS.*
ob. An. C. 1291. sepulti in Saldental. vx. Elisabetha, Belæ Hungar. Reg. filia. ob. An. 1275. eod. quo maritus Mausoleo conditi. liberi	*vx. Comit. Gebhardi ab Hirsperg.*	*Conradi Siciliæ & Hierosolym. Regis, cui peperit Conradinum Regem. II. Mainhardi Comit. Goriciæ extant literæ cum hac inscriptione: nos Elisabetha Regina & Comitissa Görzensis ac Tyrolen. Dat. An. Dn. M. CCLXIII. XV. Kal. Octob.*	

OTTO *Hungar. Rex. ob. A. C. 1312. Vx. I. Catharina Rudolphi I. Rom. Reg. filia, sterilis. II. Agnes fil. Conradi Ducis Glogouien. in Silesia. ob. A. C. 1361*

HENRICVS *iunior dictus de Natternberg. ob. A. C. 1333.*

STEPHANVS *infer. Baioar. Dux. ob. A. C. 1311. vx. Vtha, siue Geutha, Ducis Suidnicen. in Silesia filia.*

HENRICVS *senior, infer. Baioar. Dux. ob. A. C. 1339. vx. Margaretha Iohannis Bohemiæ Regis, Dux Luzemburg. fil. ob. A. C. 1341.*

IOHANNES *infer. Baioar. Dux, qui desponsatâ sibi An. 1339. Anna Ludouici IV. Imp. filia, ante nuptias vitâ excessit. A. C. 1340.*

GENERATIO DECIMA OCTAVA.

LVDOVICVS II. cognom. Seuerus, Ottonis fil. Baioar. superioris Dux, Septemuir. Com. Palat. Rheni; tres habuit vxores. I. MARIA, filia fuit Henrici II. huius nominis, ex prima vxore Maria, priuigna S. Elisabethæ ducis Brabantiæ, quam ob suspicionem temerati coniugalis thori XV. Cal. Febr. A. C. 1256. VVerdeæ ad Danubium decollari fecit: cuius posteà commissi in coniugem innocentem & piam pœnitudine ductus, celebre Monasterium Furstenfeld ad Ambram flumen ædificauit, & opimis reditibus dotauit. *Vid. Historian. Landgrauior Thuringiæ Genealogiam.* *P Rader. II. Tom. S. Bauar.*

II. Vxor ANNA, filia Conradi Ducis Gloggouien. in Silesiâ, moritur V. Cal. Iunij. A. C. 1275. relicto filio Ludouico, A. C. 1289. Norimbergæ in hastiludio per Cratonem Comit. ab Hohenloë interempto.

III. MECHTILDIS, Rudolphi I. Cæs. filia, quæ obijt A. C. 1304. X. Calend. Ianuar.

E Denasci-

Denascitur autem Ludouicus Dux A. C. 1294. Heydelbergæ, eo ipso in conclaui, in quo natus fuerat: & sepelitur in Monasterio Fürstenueld, eodem cum Ludouico ex Anna Silesia filio tumulo, quo etiam Mæchtildis tertia coniunx, postquam in viuis esse desijt, humata fuit.

Superstites liberos habuit.

RVDOLPHVM communem parentem Illustrissimorum Palatino-Boiorum Principum, quotquot hodie in viuis sunt.

LVDOVICVM.
MECHTHILDEM. Vx. Ducis Brunsuicen. & Lunæburgen.
AGNETEM Henrico Hassiæ Landgrauio nuptam.

GENERATIO DECIMANONA.




LVDO-

LVDOVICVS, LVDOVICI SEVERI FIL.
BAIOARIAE DVX, ET SEPTEMVIR.



Augustum qui te Proceres, LVDOVICE, crearunt,
Laudibus ostendunt, te meruisse, suis.
Ergo tuis fessos, tibi, tot virtutibus hostes,
Non mirum est victas saepe dedisse manus.





LVDOVICVS, Ludouici seueri Fil. Baioariæ Dux & Septemuir, Palat. Rheni: Hannoniæ, Hollandiæ, Zeelandiæ Comes, ac Dominus Frisiæ, XIII. Cal. Nouembr. A. C. 1314. quinque Imperij Electorum; Petri nimirum Moguntinen. Balduini Treuerensis Archiepiscoporum; Iohannis Bohemiæ & Poloniæ Regis, VVoldemari Brandenburgen. Marchionis; & Iohannis Ducis Saxoniæ, intuitum suum, diuinâ disponente clementiâ in eum conuertentium votis concordantibus in Rom. Regem eligitur. Vir vtique (ipsorummet eligentium testimonio) Catholicus, orthodoxæ fidei feruidus Zelator, Ecclesiæ sanctæ Dei, & ministrorum eiusdem, ac pacis sanctæ ab ineunte ætate suâ, experientiâ, quæ est rerum magistra efficax, attestante, deuotus & humilis amator, strenuus in armis, in iudicio iustus, in consilijs prouidus: in vniuersâ morum honestate præclarus, benignus, affabilis & mansuetus: de alto & generoso sanguine Ducum, Regum & Principum procreatus, ac in causis agibilibus pro regimine Reipublicæ quàm plurimum circumspectus. Nec verò tacendus hoc loco est error quorundam dubiæ fidei scriptorum, quem ex illis haustum sequitur doct. & accuratus Stemmatis Habspurgi-Austriacorum Principum auctor: Ludouicum Bauarum, vnico Brandenburgico voto, ex eiusdem Legati, & Moguntini fraude Friderico Austriaco superiorem fuisse. Sed falsum hoc esse, meridianâ luce clarius euincit supra commemoratum quinque Septemuirorum Decretum Electionis Ludovici IV. ad futurum summum Pontificem directum, quod hodie adhuc in originali extat, ex quo liquet, istos ipsos quinque Septemuiros coràm interfuisse electionis actui; eamq; vocatis prius legitimè Archiepiscopo Coloniensi, & Rudolpho Palatino-Bauaro Coëlectoribus absentibus; neutro autem horum neque per se, nec per Procuratores suos intra legitimum terminum assignatum comparente, seruatis omnibus alijs seruandis, omni meliori modo & viâ perfecisse.

Decret. Elect.

Theodoric Piess. pard.



Neque

Neque illi quoque audiendi ſunt, qui Ludouicum Cæſ. ἄμουσον calumniantur, omniſq; literaturæ expertem; qua de re Synchronus auctor, iuxtà alios ita retulit in ſuis ad A. C. 1279. analectis: Ludouicus Dux adhuc puerulus, Viennæ literis erat applicatus, nec non cum filijs Auſtriæ Principis, diſciplinis honeſtioribus & morum grauitate imbuebatur: in quibus tantùm profecit, & ſuper alios coætaneos ſuos excreuit, vt per proceſſum temporis ad ſummum Rom. Imp. culmen præ cunctis terrarum Principibus eligeretur.



Coniuges habuit Cæs. Ludouicus

I. BEATRICEM Polonam A. C. 1312. defunctam, ex quâ nati fuêre:

LVDOVICVS *Marchio Brandenburgen. qui ob. A. C. 1361. huius uxor I. Margaretha Christophori Regis Danorum fil. sine liberis decessit. II. Margaretha Maultäsch. fil. Henrici Carinthiæ Ducis, ex qua genuit.* MEVNHARDVM, *cui desponsata fuit Margaretha, Alberti Austriæ Ducis fil. sed obyt ipse ante nuptias.*	STEPHANVS *senior.*	MÆCHTHILDIS, *Vx. Friderici Marchionis Misniæ, & Langrauy Thuringiæ.*	AGNES *monialis, ad D. Iacobum Monachy. ob. A. C. 1352.*

GENERATIO VIGESIMA.

STEPHANVS senior, Imp. Ludovici Fil. Baioariæ Dux; Sacr. Rom. Imp. Septemuir: Com. Palat. Rheni. Conuenerat quidem auctore Ludouico Cæs. inter fratris Rudolphi Palatino-Bauari, suosque filios An. C. 1329. Ticini diuisione paternarum ditionum factâ, & illa ipsa iuramento corporaliter præstito firmata, nec non per Septemuiros tunc viuentes literis sigillisque suis comprobata, vt electio Rom. Regis, deinceps inter vtrosque, Ludouici nempe Imp. & Rudolphi posteros casu contingente alternis vicibus in perpetuum fieri deberet. Sed quomodo secus contigerit, alibi demonstrauimus nec rem heîc repetere lubet. Stephanus ob. An. 1377. Elisabetha Sicil. Regis filia An. 1349. ex quâ liberi nati:

IOHANNES.	*Stephanus, Princeps rebus gestis clarus, ob. An. 1413. Vx. I. Thadæa de Mediolano. ob. An. 1381. II. Elisabetha Comit. Cliuiæ & Marchiæ fil. Ex Thadæa nati liberi:*	*Fridericus ob. A. C. 1393. Vx. qua absque prole obyt. An. 1380.* *Iohannes ob. An. C. 1396.* — *Heinricus ob. Friderici Ducis*

Ludouicus Barbatus, dictus Comes de Mortignio. ob. A. C. 1447. Vx. I. Anna de Burbonio. II. Catharina de Alanzon. Anna filium Barbato genuit: *Ludouicus Gibbosus Comes de Graispach, qui ob. An. 1445. sine prole. Vx. Margaretha Friderici Marchionis Brandenburgen. Electoris filia. ob. A. C. 1465.*	*Elisabetha, vx. Caroli VI. Galliar. Regis.*	*Ludouicus dictus Magn. ob. A. C. 1497. Vx Arnalia Friderici Saxon. Duc: fil. ob. A. C. 1502.* *Georgius cognomen diues, ob. An. C. 1502 vx. Hedvvigis, fil. Cazimiri Regis Poloniæ.* — *Margaretha Vx. Philippi Com. Palat. Rheni, ob. A. C. 1501.* *Elisabetha vx. Rupertis Comit. Pal. Rheni, ob. A. C. 1504.* — *Margaretha monialis Altenhohenavv ob. A. C. 1520.*

II. MARGARETHAM, Guilhelmi Comit. Hannoniæ, Hollandiæ, Zeelandiæ ac Domini Frisiæ fil. ex qua progeniti:

LVDOVICVS *Romanus, obijt A. C. 1359. sine lib. vx. Anna Austriaca.*	OTTO *bnius vx. Catharina Caroli IV. Imp. Bohem. Reg. fil. ob. A. C. 1379. ἄπαις.*	GVILIELMVS I. *Vx. Mechthild. Duc. Lancastriæ fil. decessit sine prole.*	ALBERTVS I. *ob. A. C. 1404. vx. Margaretha Lignicen. Silesia, ex qua nati fuêre.*	MARGARETHA, *vx. Com. Gerlaci ab Hohenloë.*	ANNA *despons. I. Iohanni Duci Boiariæ, quo ante nupt. defuncto, nupsit Dn. de Scala.*	ELISABETHA *vx. Vlrici Comit. VVurtemberg.*

GVILHELMVS II. *ob. A. C. 1417. relinquens ex Vx. Margaretha, Philiberti, Burgund. Ducis fil. vnicam filiam Iacoben, quæ ob. A. C. 1436. nuptam I. Delphino Galliarum. II. Iohanni Duci Brabantiæ. III. Hunfrido Glocestriæ Duci. Comiti de Osteruant.*	ALBERTVS, *quem nonnulli in iuuentute obijsse falsò asserunt, duxit Elisabetham fil. Ducis Lusatiæ. ob. A. C. 1424.*	IOHANNES *Episcopus Leodien. qui postea vx.*	MARGARETHA *nupta Ioan. Com. de Carloys fil. Philippi Audacis Burgund. Ducis.*	CATHARINA, *vx. Edoardi Geldriæ Duc.*	IOHANNA *vx Alberti inn Austriæ Ducis.*

I. Anna fil. Comit. de Graispach & Neiffen.
II. Magdalena de Mediolano, ob. An. 1404. liberi:

Elisabetha desponsata Duci Ottoni de Austria.

A. C. 1450. Vx. Margaretha, Austriæ fil. ob. An. C. 1447.

Magdalena despons. Iohanni Mainhardo Palatino Carinthiæ, Com. Goriciæ & Tyrol.

Elisabetha vx. Friderici Burggrauij Norimbergen.

Iohanna Vx. Ottonis Duc. Baioar. Comit. in Mospach.

Elisabetha vx. Vlrici Comit. VVurtembergen.

GENERATIO VIGESIMAPRIMA.

IOHANNES Stephani senioris Fil. Boiariæ Dux. Com. Palat. Rheni, Princeps placidus & mansuetus, ob. An. C. 1392. Vx. Catharina Meinhardi Comit. Goriciæ & Tyrolis fil. horum coniugum liberi fuerunt:


1. ERNESTVS.
2. GVILIELMVS III. Sigismundi Cæs. Vicarius, & sacr. generalis Concilij Basil. protector, ob. An. C. 1433 Vx. Margaretha, Adolphi Cliuiæ Ducis, Comit. Marchiæ filia: horum coniugum fil.
ADOLPHVS, posthumus, paucis à natiuitate diebus viuere desijt.
5. SOPHIA, Vx. VVenceslai Rom. & Bohem. Regis. ob. An. C. 1428. de qua Aen. Syluius post Pius PP. II. cap. 3. histor: Bohem. scribit; quod fuerit fœmina longè viro suo præstantior.

GENERATIO VIGESIMASECVNDA.

ERNESTVS Iohannis fil. Baioariæ dux, Com. Palat. Rheni, ob. An. C. 1438. Vx. Elisabetha de Mediolano Barnabouis filia, ex qua liberi procreati.

ALBERTVS III.
BEATRIX Vx. I. Hermanni Comit. Ciliæ.
II. Iohannis Baioariæ ducis auff dem Nordtgau.
ELISABETHA, Vx. I. Adolphi Ducis Iuliacen.
II. Hessonis Comit. à Laimingen.

GENERATIO VIGESIMATERTIA.




ALBER-

ALBERTVS III. ERNESTI FIL.
BAIOARIAE DVX.



Contentus, tu ALBERTE, tuis aliena recusas:
O magnum magni Principis ingenium.
Felix quem Pietas magnum facit; immo PIVS quod
Dictus es, hoc magni nomine Maior eras.



G ALBER-

ALBERTVS III cognomento Pius, Baioariæ Dux, Com. Palat Rheni, & in Vohburg; raro τῶν ἀρχόντων exemplo, Regnum Bohemiæ vltrò sibi oblatum, maiori cum laude repudiauit, quàm illud repudiato à Bohemis hærede legitimo acceptasset. ob. An. C. 1460. sepultus in monte Heiligemperg Andex, quod restaurauerat. Vx. I. Elisabetha Comit. VVürtenbergen. filia, ex qua nullos suscepit liberos. II. Anna, Erici fil. Ducis Brunsuicen. mater

ALBERTI IV.

IOHANNIS, qui ob. An. C. 1463. sine liberis.

ERNESTI, qui in iuuentute decessit.

SIGISMVNDI, cui desponsata fuit Margaretha fil. Friderici Marchionis Brandenburgen. Electoris. Ipse ob. An C. 1501.

ALBERTI in iuuentute defuncti.

CHRISTOPHORI strenuissimi herois, in reditu ex Palæstina An. C. 1493. in Rhodo insula defuncti.

VVOLFGANGI, qui obijt cælebs An. C. 1514.

BARBARÆ monialis ad D. Iacobum Monachij.

ELISABETHÆ Vx. Ernesti Ducis Saxoniæ Electoris; defunctæ An. C. 1484. die Veneris ante Inuocauit, Lipsiæ.

MARGARETHAE, Vxor. Friderici Marchionis Mantuæ.

GENERATIO VIGESIMA QVARTA.



ALBER-

ALBERTVS IV. BOIARIAE DVX.



Iura tui generis, Boiæ gentisque, tuentem
Nulla, ALBERTE, sinet, QVARTE, perire dies:
Ad belli fueras, ad pacis idoneus arteis,
Propositum, haud mirum, te tenuiße tuum.

ALBERTVS IV. dictus sapiens, vtr. Baioariæ Dux, Com. Palat. Rheni, ad instar Principis ab Homero decantati:

Ἀμφότερον, βασιλεύς τ' ἀγαθὸς κρατερός τ' αἰχμητής.
Βουλάς τ' ἐξάρχων ἀγαθάς, πόλεμόν τε κορύσσων.

Transtulit Canonicos Illmünstren. & Schlierseen. Monachium ad D. Virginem; ibique Collegiatam Ecclesiam auctoritate Sum. Pont. erexit. ob. An. C. 1508. Coniugem habuit, quà pietate, quà virtutibus omnibus præcellentissimam Kunegundam. Imp. Friderici III. filiam, post mariti obitum in monasterio Ridlerorum Monachij, tertiam S. Francisci regulam professam; & An. C. 1520. defunctam, ex quâ liberi processêre:

SIDONIA, Ludouico Electori Palatino desponsata, ob. ante nuptias, An. C. 1505. postridie Quasimodo geniti.

SIBYLLA, modò commemorati Electoris Ludouici Vxor, ob. An. C. 1519. sine prole.

SABINA, Vx. Vlrici Comit. VVürtenbergen. ob. An. C. 1564.

GVILIELMVS IV.

SVSANNA, ob. infans A. C. 1491.

LVDOVICVS nascitur die 18. Septemb. An. C. 1495. denascitur An. C. 1545. cælebs.

ERNESTVS nat. die 3. Augusti, An. C. 1500. Administrator Passauien. & Archiepiscopus Salisburgen. ob. An. C. 1560. in Comitatu Glaz, quem ex suo emerat.

SVSANNA. Vx. I. Cazimiri Marchionis Brandenburgen. II. Ottonis Henrici Com. Palat. Rheni, Baioar. Ducis Electoris, quæ ob. An. C. 1543.

GENERATIO VIGESIMAQVINTA.



GVILIELMVS IV. ALBERTI IV. FIL.
BAIOARIAE DVX.



Stemma propagantem tibi, Boica, terra, GVILIELMV̄.
Moribus en priscis et pietate grauem:
Patrem expreßurus, si quà usus forte fuißet,
Æmulus eße Pÿ poßet vt, egit, avi.

GVILIELMVS IV. Alberti IV. fil. Vtr. Baioariæ Dux, Comes Palat. Rheni; nascitur 13. Nouembr. An. C. 1493. ob. An. 1550. Princeps conseruandæ, tuendæ auitæ religionis Catholicæ; & Prouinciæ suæ à nouatorum dogmatibus clàm irrepentibus perpurgandæ studiosissimus. Matrimonio sibi iunxit Iacoben, Philippi Marchionis Baden. filiam: nuptiæ peractæ die Solis post B. Michaëlis Archangeli festum, A. C. 1522. liberi:

THEODO, cui desponsata fuerat filia Imp. Ferdinandi I. ob. ipse An. C. 1534. in iuuentute.

ALBERTVS V.

MAECHTHILDIS (Henninges Sidoniam nominat falsò) Vx. Philiberti Marchionis Baden. Tractatus quidem habitus fuit de matrimonio inter hanc Mæchthilden, & Philippum Magnum, Ducem Brunsuicen. & Luneburgen. sed is ante nuptias in prælio occubuit.

GENERATIO VIGESIMASEXTA.



ALBER-

ALBERTVS V. GVILIELMI IV. FIL.

BOIARIAE DVX.



Te pietas, te prisca fides, defensaq; pacis,
ALBERTE, æternâ munia laude vehent:
Vnde, tibi quantum debet tua Boica tellus;
Teutoniæ tantum debet et omne solum.

ALBERTVS V. Guilielmi IV. Fil. Vtr. Baioariæ Monarcha, Com. Palat. Rheni: inter cæteros Germaniæ Proceres præclarum sidus; Princeps sapiens, magnanimus & pacificus: veræ auitæque religionis Catholicæ strenuus propugnator, & Iustitiæ assertor, nascitur die 5. Martij. An. C. 1528. denascitur 1579. die Sabbathi, 24. Octobr. paulò post horam septimam vesperi. Vx. Anna Archiducissa Austriæ, Ferdinandi I. Rom. Regis pòst Imperatoris filia, ex qua ipsi fuêre liberi:

CAROLVS nascitur Starnbergæ, die 6. Septembr. An. C. 1547. ob. 7. Decembr eod. anno.

GVILIELMVS V.

FERDINANDVS, tàm pacis quàm belli artibus clarissimus Princeps, nasc. die Solis, 20. Ianuar. An. C. 1550. Landshutæ. ob. Monachij die 30. Ianuar. An. C. 1608.

MARIA nata Monachij, die 21. Martij, An. C. 1551. Vxor Caroli Archiducis Austriæ, ob. 29. die Aprilis, An. C. 1608.

MARIA MAXIMILIANA, nasc. Monachij die Solis, 4 Iulij, An. C. 1552. ob. ibid 11. Iulij An. C. 1614.

FRIDERICVS natus Monachij, die 26. Iulij, An. C. 1553. vixit septimanis 34. sepultus in monte sancto Andex.

ERNESTVS Archiepiscopus Colonien. Sacr. Rom. Imperij per Italiam Archicancellarius, Septemuir: Episcopus Leodien. Administrator Hildesheimen. Monasterien & Frisingen. Princeps Stabulen. Baioariæ, VVestphaliæ Angariæ, & Bullionij, &c Dux; Francimonten. Marchio; Palatin. Rheni & Lossen. Comes, nat. die 17. mensis Decembr. An. C. 1554. ob. An. 1612. die 17. mens. Febr. manè.

GENERATIO VIGESIMASEPTIMA.



GVILI-

GVILIELMVS V. ALBERTI V. FIL.
BAIOARIAE DVX.



Tene patrissantem sinerent pietasque fidesque
Obduci turpi, Dux GVILIELME, situ?
Est tibi quo magis hæc virtus immo utraq; condi.
Semper eris præsens hoc magis ipse Deo.

GVILIELMVS V. Alberti V. Fil. Vtr. Baioariæ Dux, Com. Palat. Rheni, verè, vt quidam, quamvis non Catholicus, de ſua Ser^{te}. ſcripſit, patris in fouenda religione Catholica æmulus: naſcitur Landishutæ, die 29. Septembr. An. C. 1548. Ampliſſimum templum in honorem S. Michaelis Archangeli, & Collegium Societ. IESV Monachij inſtituit, perfecitque: ac tandem gubernationem Ducatus à ſe abdicauit; An. C. 1597. vt remotis omnibus mundanis curis & diſtractionibus, Deo & diuinis rebus liberiùs vacare poſſet: in quo ſancto inſtituto ſua Ser^{tas}. in præſentem vſque diem perſeuerat; & Deo gratiam ad valetudinem largiente, ad multos annos perdurabit. Coniugem habuit Renatam, Franciſci Lotharingiæ Barrhique Ducis, & Chriſtiernæ Danorum Reginæ filiam, nuptiæ Monachij celebratæ An. C. 1568. ob. autem ſancta Princeps octaua die Aſcenſionis Domini 23. die menſ. Maij, intrà horam 7 & 8. antè meridiem, An. C. 1602. ſepulta ad D. Michaelem. Liberi ex hoc matrimonio progeniti.

CHRISTOPHORVS, naſc. die 23. Ianuar. An. C. 1571. Fridpergæ: eademque hora defunctus, ſepelitur in monte S. Andex.

CHRISTIERNA, nat: Monachij, die 23. Septembr. An. C. 1572. ob. die 27. April. An. 1580. ſepulta in Monte ſancto.

MAXIMILIANVS.

MARIA ANNA, in lucem edit. Monachii, die 8. Decemb. An. C. 1574. Coniunx Ser^{mi}. Auſtriæ Archiducis, poſt Bohemiæ & Hungariæ Regis, denique

nique Rom. Imperatoris Augusti Ferdinandi II. nuptiæ Græcij Boiorum peractæ, die 24. April. An. C. 1600. pijssimè obijt sanctæ matris non dissimilis filia, die 8. Martij An. 1616.

PHILIPPVS, S.R.E. Cardinalis de Bauaria; Episcopus Ratisponen. Princeps ad maxima natus, si vita longior superfuisset: nascitur Monachij die 22. mens. Septembr. circa horam 6. manè, A. C. 1576. factus S. R. E. Cardinalis An. 1597. die 2. Febr. ob. in arce Dachavv 18. Maij, An. 1598. sepultus Monachij in templo D. Virginis.

FERDINANDVS, Archiep. Colonien. Sacr. Rom. Imp. per Italiam Archicancellarius, Septemvir: Episcopus Leodien. & Monasterien. Administrator Paderbornen. Hildesheimen. & Berchtesgaden. Princeps Stabulen. Baioariæ, VVestphaliæ, Angrorum & Bullionij Dux: Marchio Francimonten. Palat. Rheni & Lossen. Comes, nascitur die 7. Octobr. circa 10. horam noctis, An. C. 1577. Monachij.

LEONORA MAGDALENA, nat. die 7. Octobr. An. C. 1578. Monachij. ob. die 18. April. An. 1579. in vigil. Paschæ; sepulta Landishutæ in templo monasterij Sældentaal.

CAROLVS, nat. die 30. Martij, An. C. 1580. Monachij. ob. Salisburgi, An. 1587. die 27. Octobr. sepultus in monte sancto Andex.

ALBERTVS, nascitur Monachij die 13. April. An. C. 1584. Vx. Mæchthildis Illustriss. Principis ac Dn. Dn. Georgij Ludovvici Landgrauij Leuchtenbergen. Com. de Hals fil. nuptiæ celebratæ Monachij, An. C. 1612. in dominica Sexagesimæ. Liberi:

MARIA RENATA, in lucem edita An. 1616. die 3. Augusti.

IOANNES FRANCISCVS CAROLVS, natus in Vigilia S. Martini Episcopi & Confessoris, die 10. Nouembr. An. C. 1618. Deus Opt. Max. soboli inclytæ vitam & felicitatem largiatur perpetuam: Serenissimosque parentes videre faciat filiorum filios.

MAGDALENA, Princeps cum clarissimis quibusue princip. iure comparanda, nat. Monachij, die 4. Iulij, S. Vdalrico sacro; A. C. 1587. Vx. Illustrissimi Principis VVolfgangi Guilielmi, Com. Palat. Rheni, Ducis Baioariæ Neoburg. Nuptiæ celebratę Monachij, An. C 1613. Dominica post Martini, Natus his coniugib. fuit inclyta proles Philippus Guilielmus 24. Nouembr. An. 1615. Neoburgi, faue Numen.

GENERATIO VIGESIMAOCTAVA.



MAXIMI-

MAXIMILIANVS, GVILIEL. V. FIL.
BOIARIAE DVX.



Degeneres animos fas est obliuio tollat,
MAXMILIANE, patrem tute refers et auũ.
Ergo quando sinent pietasque fidesq; perire
Patris auique decus, tu quoq; nullus eris.

MAXIMILIANVS, Guilielmi V. Fil. Alberti V. nepos: tantis dignus progenitoribus, Princeps: religionis Catholicæ, (quæ à Carolo M. & vltrà penes inclytam hanc familiam in hodiernum diem, ceu hæreditario iure numquam interrupta ſerie permanſit) acerrimus defenſor: Iuris & Aequi amantiſſimus: pacis publicæ cultor eximius: in armis peritus iuxta & felix: PATRIÆ PATER: naſc. die 17. menſ. April. An. C. 1573. mane circa horam 4. Vxor Eliſabetha, Caroli Lotharingiæ Barrhiq; &c. Duc. filia. Nuptiæ celebratæ Nancei, die 6. Februar. An. C. 1595. Cuius Ser^ti. Deus Opt. Max. longiſſimam vitam, & feliciſſimam gubernationem largiri dignetur.

Euſebia, Eunomia, Pacis, Sophia, Virtutis:
Ecdicus, Adiutor, Murus, Ocellus, Hono s.



AVGVSTAE VINDELICORVM,
apud Saram Mangiam viduam.

M. DCXX.


IHS